

Franckesche Stiftungen zu Halle

Disputatio Exegetico-Dogmatica De Experientia Spirituali

Lange, Joachim

Halæ Magdeburgicæ, 1710

VD18 14991551

Sectio Prima. Exegetica.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.


Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



Locus Phil. I. 9, 10.

Καὶ τὸτε προσεύχομαι, ἵνα η̄ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον καὶ
μᾶλλον περισσεύῃ ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰδήσει, εἰς τὸ
δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, ἵνα ἡτε εἰλικρεῖς καὶ ἀ-
πέρσηκοποι εἰς ἡμέραν χριστῆς.

Et illud oro, ut charitas vestra magis magisque exube-
ret in agnitione omnius sensu, ad probandum, quæ
sint differentia, ut sitis sinceri & offendiculi expertes
in diem Christi.

SECTIO PRIMA EXEGETICA.

ΣΤΝΟΥΙΣ.

Consideratur sensus litteralis
generatim §. I. II.

ὑμῶν §. XV.

Περισσείη §. XVI. XVII.

Nec non συνάφεια, & quidem
cum antecedentibus §. II. III.
IV.

Ἐτι μᾶλλον καὶ μᾶλλαν §. XIX.

Ἐν ἐπιγνώσει §. XX. XXI.

ἡ αἰδήσει §. XXII. XXIII. XXIV

Πάση §. XXV. XXVI.

εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς §. XXVII.

XXIX.

τὰ διαφέροντα §. XXIX. XXX.

ἵνα ἡτε εἰλικρεῖς §. XXXI.
XXXII.

Καὶ ἀπέρσηκοποι §. XXXIII.

εἰς ἡμέραν χριστῆς. §. XXXIV.

Cum consequentibus §. V.

Uti & scopus §. VI.

Excutiuntur singulæ voces, &
quidem particula καὶ §. VII.

Porro vox τὸτε §. IX.

προσεύχομαι §. IX. X.

ἵνα §. XI.

ἡ ἀγάπη §. XII. XIII. XIV.

DE EXPERIENT. SPIRIT.

§. I.



Ic primum generatim considerandus est sensus hujus loci litteralis, una cum ejusdem συνάφειᾳ. Illum hæc exhibet propositio: *Paulus apprecatur Philippenisibus incrementum, seu exuberantiam, amoris & experientiae spiritualis ad δοκιμασίαν vitæque sinceritatem, nunquam interrumpendam.* Cujus propositionis analysis hæc continet momenta: 1. *Subiectum*, quod est Paulus, amoris affectu abundans. 2. *Prædicatum*, quod describitur (a) ab *auctu* apprecandi: τέτοιο προσεύχομαι. (b) ab appreciationis *objeto*, seu re, quam apprecatur, quæ est amoris exuberantia, agnitione & experientia spirituali promovenda. (c) a *fine & effectu*, qui est δοκιμασία spiritualis, cuius novus finis atque effectus est vitæ integritas, offendiculi expers.

§. II.

Ut vero eo reddatur evidentior sensus hujus loci litteralis, modo dicta propositio in plures potest resolvi; nimirum hasce: 1. Paulus Philippensisibus affectus sui abundantiam spirituali appreciatione testatur. 2. Apprecatio hæc tendit ad exuberantiam amoris. 3. Amoris exuberantia promovetur agnitione & experientia spirituali. 4. Experientia spiritualis spiritualem gignit δοκιμασίαν. 5. Spiritualis δοκιμασία parit vitæ integratatem, offensionis expertem. 6. Vitæ integritas est conservanda usque ad diem Christi. Unde apparet, nexus harum propositionum Logicum ex arctissimo ipsarum, de quibus sermo est, rerum nexus & cognatione derivari.

§. III.

Quod si loci nostri συνάφειαν, quam cum iis habet, quæ eum antecedunt & conseqvuntur, consideramus, non parum inde lucis illi, per se quidem jam tum admodum perspicuo, affunditur. Ad antecedentia quod attinet, Paulus v. 5, men-

ti-

SECTIO I. EXEGETICA:

tionem facit communionis Evangelii, in quam per fidem ve-
nerant Philippenses, nec non v. 6. boni operis, quod Deus
hac ratione in ipsis incepérat; ideoque omnes eos ejusdem gra-
tiæ, cuius dulcedinem Paulus *κατ' ἔχοντι* gustaverat, συγνω-
νεψ, confortes ac participes fecerat. Hinc emergit in Paulo,
ad Philippenses scripturo, tenerimus & abundantissimus affe-
ctus, & quidem gaudii in *se ipso* super hac re; erga Deum vero
affectus *gratiarum actionis* v. 3. pro conversionis negotio, tam
egregie ceptō; nec non *fiduciæ* pro eodem, ab ipso perficiendo
v. 6. porro erga Philippenses itidem affectus *fiduciae* pro incho-
ati boni continuatione v. 7. *amoris*, qui nec in vinculis statuque
afflictissimo ab ardore & sinceritate sua remittat; nec non *deside-
rii* pro salute ipsorum flagrantissimi, v. 8.

§. IV.

Ex hoc affectu quemadmodum suam pro Philippensibus
adhuc factam in precibus intercessionem derivaverat v. 3, 4; sic
ex eodem derivat eam incrementi & experientiæ spiritualis ap-
preciationem, de qua præsens locus noster agit. Unde benefi-
cio hujus *συναφίας* videamus, tractari hic doctrinam magni
momenti magno cum affectu, adeoque eam, quæ non nisi ab iis,
qui cum Paulo ac Philippensibus, mente regeniti, in veram Evan-
gelii communionem venerunt, aut serio ad eam tendunt, & hac
ratione simul & Philippensem & apprēcantis Pauli affectum re-
vera imbibunt, solide ac cum fructu possit intelligi. Quales le-
ctores ut hæc Dissertatio, in hujus doctrinæ exegesi occupata, in-
veniat omnes, saltem plurimos, est, quod sincere exopto.

§. V.

Hæc de antecedentibus. Ex iis, quæ consequuntur, in
præsens unici versiculi 11. cum loco nostro *αμέσως* cohæ-
rentis, collatio sufficiat. Hic vero declarat, quænam debeat
esse ratio veraque indoles spiritualis incrementi & experientiæ,
nec non inde redundantis *δοκιμασίας* & *ειληφενείας*; nimi-
rum practica, quæ ipsam Philippensem, *πεπληρωμένων*, imple-
torum fructibus justitiæ, experientiam & *δοκιμασταν* minime
reliquit sterilem, nudeque theoreticam, sed justitiæ fructibus,

A 3

qua-

DE EXPERIENT. SPIRIT.

quales per Jesum Christum in DEI gloriam fiunt, fecit secundissimam, DEIque laudi ac gloriæ sincere servientem.

§. VI.

Quæ cum ita sint, simul patet, locum nostrum respectu scopi, quem Apostolus in universa Epistola sibi præfixit, esse id, quod est oculus aut cor, aut, si mavis, anima in homine. Etenim hic reliqua collineant omnia, ut Philippensem erga Deum & homines amor, fidei proles, una cum experimentalis rerum divinarum agnitione, ad δοκιμασίας καὶ εἰληφτείας fructum uberrimum, magis magisque invalescat; quorsum speciatim locus noster tendit.

§. VII.

His generatim præmissis pergimus ad singularium vocum ac locutionum exegesin, ipsarum proprietatem ac δέινωσιν seu emphasis breviter consideraturi. Ubi primum fere sustunt voices: καὶ τότε προσένυχομεν. Particula καὶ propositionem hujus versiculi de Pauli precatione connectit cum antecedenti, qua, Deo teste, sancte asseverat, se tenerrimo Philippensem desiderio teneri. Atque ita hæc particula connectit effectum cum causa sua genuina, remotisque votis hypocriticis, pro aliorum salute citra sinceritatem conceptis, docet pium animi, spiritu & gratia pleni, affectum esse prectionum matrem, easque semper ex hoc fonte, rivulorum instar, derivandas esse.

§. VIII.

Vox τότε respicit consequentia: ἵνα καὶ ἀγάπη ὑμῶν ἔτε μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσένη, determinans Pauli affectum generalis ad peculiare atque optimum precandi objectum, quod est spirituale amoris, experientiae ac δοκιμασίας, incrementum. Sic decet orare, ut sciamus, & quidem non superficialie, sed solide, seu in luce Spiritus S. ac fidei, quid sit, quod precamur, & quantopere illud nobis aliisque sit utile ac necessarium. Contrarium deprehenditur in precatoribus inconsultis, quales erant filii Zebedæi, qui una cum matre, justo precandi objecto destituti, a Christo redarguuntur; utpote qui post quæstionem:

SECTIO I. EXEGETICA.

7

τι θέλεις, datamque respcionem indignam: εἰπούσιδατε, inquit,
τι αγριεῖθε, nescitis, quid petatis. Matth. XX, 20. seqq.

§. IX.

Sequitur precandi modus, expressus verbo προσέυχομαι, quod est precandi affectu & actu tendo πρὸς εὐχὴν, ad votum, seu scopum, precationi præfixum. Huc vero qui tendit, votum suum dirigit πρὸς τὸν εὐχειν, ad τὸ bene habere, seu ut sibi & aliis bene sit. Atque ita προσέυχη est ejusmodi precandi species, quæ, proprie & stricte accepta, ad impetrandum bonum directa atque distincta est a reliquis precandi speciebus, nimirum δίησις & ἀντεύξει, utpote quarum illa, stricte accepta, deprecationem mali, hæc vero intercessionem pro aliis significat; quemadmodum perhibet ipse Paulus i. Tim. II, 1. adhortans, ut fiant deprecationes, precationes atque intercessiones seu interpellationes una cum εὐχαριστίαις. Ubi tamen notandum est, δίησις interdum quoque idem significare, quod προσέυχη, vel ἀντεύξις addita particula ὑπὲρ cum objecto personali, pro quo fit intercessio, vid. v. 4. Cujus permutationis ratio est in promtus: siquidem nulla fieri solet mali deprecatio, quæ non simul boni precationem contineat, & vice versa. porro observandum est, προσέυχη, quando aliorum bonum respicit, ipso hoc respectu εντεύξεως naturam & officium assumere; quemadmodum hoc ipso loco fit.

§. X.

Neque solum precandi actum hoc loco significat verbum προσέυχομαι, sed, respectu ad precantem Paulum habito, ipsum precandi habitum notat: id quod non solum ex abundantissimo ejusdem affectu, sed inde etiam liquet, quod v. 3. & 4. indicat, se continuam Philippensem memoriam, multa precatione fecundam, conservare. Atque ita hac voce hoc loco non solum actum ipsum, seu effectum precationis, quocum ipsam epistolam conscriperit, sed suam quoque precandi consuetudinem, ante litteras scriptas dudum cœptam, & post scribendi actum constanter duraturam, aperiit. Quid? quod precandi voce modoque ipsum primarium Epistolæ argumentum, de quo

su-

DE EXPERIENT. SPIRIT.

supra §. V. proponat. Quæ scribendi ratio Paulo, pro affectus sui indole, est familiaris, vid. Col. I, 9. seqq. Eph. I, 16. seqq. conf. v. 3. seqq. Quod si hujus Epistolæ cap. II, v. 2. seqq. respiciamus, deprehendimus, Apostolum, quod in loco nostro appre- cando facit, mente ad Deum directa, efferre modo pædevti- co, per exhortationem admodum patheticam. Conf. i. Thessal. IV, 1.

§. XI.

Particula, quæ nunc sequitur, *τια, causam* precationis, to- tiusque Epistolicæ scriptioñis, *finalem* exprimit. Hæc in pre- cantis Pauli animo erat sancta & saluberrima; uti sequentia docent. Observamus ergo hic merito, in precibus non solum requiri justum objectum, de quo §. VIII. sed etiam justum finem; siquidem finis malus, aut corruptus atque obliquus, totam actionem, quantivis alias per se pretii esse videatur, vitiat. Hoc e- gregie innuit Jacobus, quando cap. IV, 3. *petitis*, inquit, & non accipitis, eo quod male petitis, quem in finem? *τια, ut in voluptatibus vestris consumatis.* Ubi clare ostendit, malum precandi finem vitiare non solum actum modumque, sed etiam effectum impedire. Loquitur enim non solum de modo: *κα- κως αὐτεῖδε, male precamini;* sed etiam de impedito effectu, *καμβάνετε, non, seu nihil, accipitis.* Idem finis vitium e- rat, quod Pharisæorum preces reddidit irritas, imo Deo dete- stabiles, siquidem dicuntur precati *ὄπως ἄν*, seu *τια Φανῶσι τοὺς ἀνθρώπους*, ut conspicui fierent hominibus Matth. VI, 5. Huc refer corruptum illud *τια* Simonis *μαγεύοντος*, quo in sui ostentationem dona *θαυματηγίας* expetiit, impuroque hoc fine petitionis suæ actum, jam per se obliquum & corruptissi- um, eo detestabiliorum reddidit, Act. VIII, 19.

§. XII.

In voce *ἀγάπης* philologice notamus originem, Theo- logice *emphasim*. I. *Origo* est Hebræa a verbo **אֶלְעָשׂ** amavit, quod affine est verbo **אֶלְעָשׂ** dilexit. Quod si derivationem Græcam malueris, verbum *ἀγαπάω* non incommode derivaveris e particula *ἀγα* valde, & *πάω* quiesco, vel *πάω* possideo; si- qui-

SECTIO I. EXEGETICA.

9

quidem ἀγαπᾶν nihil est aliud, quam vehementi cum affectu ferri in objecti alicuius possessionem, ac in ejus communione acquiescere. 2. *Emphasis* ob sensus sui plenitudinem hanc vocem merito refert in classem earum, quae longe sunt significantissimae, præcipue in stylo Novi Testamenti. Significat enim universum istum novitatis spiritualis complexum, qui, ex regeneratione & fide ortus, per totum renovationis cursum ambitionque sese extendit, & singula Christianismi, fide nixi, officia continet. Unde ad ἀγάπην ipse Christus totius legis, secundum utramque decailogi tabulam consideratae, praxi scriptorumque propheticorum nervum refert, quando Matth. XXII, 40. ἐν ταύταις, inquit, δυσὶν ειπολαῖς (amore erga Deum & proximum) ὅλος ὁ νόμος καὶ ὁ προφῆται κρέμανται. Et Paulus Rom. XIII, 8. ὁ ἀγαπῶν τὸν ἔτερον, νόμον πεπλήρωκε, conf. Gal. V, 14. Sic I. Tim. I, 5. ἀγάπην ἐν καθαραῖς καθαρίας, καὶ συνεδήσεως ἀγαθῆς καὶ πίστεως ἀνυποκείτε νοεῖται τέλος τῆς παραγγελίας, summam illius præcepti, quod Timotheo in dirigenda Ephesina ecclesia dederat, v. 4.

§. XIII.

Quid? quod ἀγάπη 2. Cor. XIII. commendetur ut charisma, reliquorum omnium præstantissimum, non minus usū suo amplum ac copiosum, quam duratione perpetuum. Est enim charitas, genuina ista fidei proles, virtus quædam universalis, reliquarum omnium mater, complexus, & directrix: & quemadmodum earum vim ac naturam ipsa & continent & gignit; sic earundem etiam nomina sua facit, harumque appellatione diversa, pro diverso respectu, insigniri gaudet. Hoc est, ratione objecti nonsolum distinguitur in eam, quæ erga Deum, nos ipsos & alios homines fertur; sed etiam, pro diversitate novorum respectuum, subinde novarum virtutum insignia induit ac repræsentat. Sic ad Deum directus amoris affectus, quando ejus beneficia & perfectiones celebrat, accipit nomen *laudis & gratiarum actionis*: quando ejus præceptis paret, ejusque potentiam atque attributa reliqua intuetur, *obedientiae, timoris, invocationis, demissionis*, ac reliquarum, quæ circa

B

De-

SECTIO I. EXEGETICA.

Deum versantur, virtutum nomina ac ornamenta accipit. Ad nos ipsos conversus amor si genuinus est, modo temperantiae ac castitatis atque diligentiae naturam ac nomen exprimit. Eadem est ejusdem ratio respectu aliorum hominum. Etenim erga miseros & afflictos fit & dicitur misericordia ac beneficentia; erga fratres φιλαδελφία; erga hostes ἐχθροφιλία; erga superiores reverentia: erga inferiores æquitas, erga æquales amicitia, erga benefacientes εὐχαριστία; erga persecutores lenitas, mansuetudo & patientia: erga omnes iustitia; immo charitas fit omnia omnibus, quemadmodum Apostolus egregie peralbet citato capite i. Cor. XIII.

§. XIV.

Jam si quæratur: quonam sensu nostro in loco vox ἀγάπης accipiatur? respondeamus, eam, generaliter positam, merito significatu generali accipi; sed ita tamen, ut speciatim determinetur ad illud charitatis officium, quod sibi afflito a Philippensibus exhibitum, Paulus C. IV. v. 10, 14. seqq. grata mente celebrat. Capite primo v. 6. sub operis boni, a Deo in ipsis coepti augendique ac perficiendi, mentione, præter fidem, utique potissimum ad amplissimum hoc charitatis charisma respicit. Et quando v. 7. Philippenses vocat συγκοινωνίας τῆς χάριτος, confortes gratiae, haud obscure indicat, ex quo fonte profluxerit ipsorum charitas, nimirum ex gratia. Quid autem hæc in effectu suo est aliud, quam *Dei* charitas, cùm tenebrimo suavitatis ac dulcedinis sensu per Spiritum S. in pectori nostro diffusa? quemadmodum diserte testatur Apostolus Rom. V. 5. Atque ita amor amorem accedit, passivus *Dei* erga nos activum, seu nostrum erga Deum, adeo ut non solum theoria, sed ipso etiam affectu motuque cordis sincere usurpare possimus illud Johanneum: *Nos amemus ipsum, ēti αὐτὸς ἡρώτες, quia ipse nos primus amavit.* c. IV. v. 19. conf. v. II.

§. XV.

Nec prætereundum nobis est pronomen ὑμῶν, voci ἀγάπης additum. Quod quemadmodum possessivum est, sic egre-

SECTIO I. EXEGETICA.

gregiam Philippensibus sortem ac possessionem boni, a DEO accepti, quod in charitate erat, tribuit. Et hoc cum non haberent, aut acquisivissent, e suis, quibus natura valet, viribus, sed a Deo accepissent, & quidem in veræ conversionis ordine; ideo voce ὑμῶν designatur genuina hujus charitatis indoles, eaque distinguitur a charitate aliorum falso credita ac corrupta, seu naturali, qualis ante conversionem etiam in Philippensibus fuerat. Et sicut v. 7. dixerat ὑμᾶς πάντας, vos omnes gratiae consortes; ita hic etiam apud vocem ὑμῶν merito subaudimus alteram eam πάντων, nimimum ἀγάπην ὑμῶν πάντων, precor, ut charitas vestra omnium exuberet. Etenim erat priscorum Christianorum status, ut, quod de uno atque altero dicebatur, ordinarie etiam de reliquis omnibus, aut plurimis, verum esset, secus ac hodie Christianorum statum deprehendimus; si quidem quando Verbi Minister, aut Theologæ Doctor, de auditorum suorum, qui se ipsos pro conversis Christianis habent, grege universo dixerit: precor ut charitas VESTRA, nimimum jam coepta, exuberet; non potest salva veritate subaudire, aut addere, vocem πάντων, omnium, sed propositionem suam ordinarie de paucioribus tantum intelligere cogitur. Tanta est grecum Apostolicorum a nostris discrepantia!

§. XVI.

Sequitur verbum περισσεύειν. Significat τὸ περισσεύειν abundare, excellere, uti τὸ περισσὸν abundans, excellens. Unde verba, τὸ δὲ περισσὸν τὸ ιδοῖς Rom. III, v. 1. recte redundunt: quānam igitur est Iudei excellentia. Sic Matth. V, 20. εἴ τι μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν, nisi abundaverit seu excellentior fuerit justitia vestra, Luth. Es sey denn eure Gesetzmäßigkeit besser ic. Est vero abundantia duplex, alia superflua; alia utilis ac necessaria, rei alicuius defectui ac sterilitati opposita, ejusdem sinceritatem ubertatemque notans. Et unicunque haec laudabilis est abundantia, ibi rei, cuius rationem egregie comparata est, singularem præstantiam seu excellentiam conciliat. Atque ita quando περισσεύειν utrumque significat, & abundare & excellere, revera inter hos vocis si-

DE EXPERIENT. SPIRIT.

gnificatus diversos ea est cognatio , ut una alteri sit subordinata , & utraque alterius naturam vocisque δίνωσιν declareret. Sed fiat applicatio ad locum nostrum. In hoc precatur Apostolus, ut Philippensem charitas περισσεύη , h. e. ut abundet & excellat. Etenim quo abundantior fit , seu plenior ac perfectior , eo redditur nobilior atque excellentior. Unde Apostolus , charitatis , & quidem exuberantis , χαρισμα Corinthis commendaturus , illud i. Cor. XII. v. 31. singulare excellentiae ac prærogativæ elogio exornat , id ὁδὸν κατ' ὑπερβολὴν , viam excellentissimam , appellans : cuius prærogativam deinde integro Cap. XIII. persequitur.

S. XVII.

Præterea nec prior vocis significatus , seorsum consideratus , sua caret emphasi. Etenim quando charitas dicitur abundare , homo , charitate præditus , comparatur cum vase , quod , a dominante Φιλαντία & νοσμοφιλίᾳ evacuatum , Dei gratia , & hinc promanante charitate , non aliquo modo tinctum affestumque , sed imbutum , immo undiquaque perfusum ac impletum est ; & quidem adeo , ut non solum sibi ipsi ad spiritualis dulcedinis sensum gustumque sufficiat , sed etiam in aliorum usum uberrime redundet. Certe homo fide , & per hanc charitatem , plenus , est perennis fontis instar , qui nunquam exsiccatur , sed rivulos suos ad alios sitientes , immo in vitam usque æternam , emittebat : siquidem homo , quod per charitatis abundantiam serit , metet in æternum Gal. VI. 8. Hæc est illa aqua , de qua Christus Joh. IV. 14. aqua , inquit , quam ego dabo ei , fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Indicatur ergo hac voce indoles charitatis , & totius Christianismi , Evangelica , a legali multum diversa. Legali enim , quæcumque agit homo , agit coacte & minus sincere , immo difficulter & interrupte , similis puto , seu fonti , qui aquam debet scaturire , quam tamen non habet , sed , ut ipsi externe prius infundatur , exspectat . Sic hypocritarum proprium est , das Wasser (der Liebe) in den Brunnen tragen / quemadmodum nos Germani in proverbio dicimus. Eorum vero , qui ex fonte Evangelii fidem ac charitatem

SECTIO I. EXEGETICA.

13

tēm hauserunt, indoles est libera ac spontanea, in libero ac sua-
vissimo amandi exercitio occupata.

§. XVIII.

Nec dicitur tantum: *ἴνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν περισσέψῃ*, sed etiam additur geminatum illud: *ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον, adhuc ma-*
gis magisque. Quibus particulis ἐμφατικῶς indicantur ac
commendantur quinque charitatis proprietates, inter se cognatae: 1. *plenitudo* atque *exuberans mensura*, jam tum ipso verbo *περισσέψῃ* expressa: 2. *incrementum*, secundum quod quo
plus habet, eo plus insumit: & quo plus insumit, eo plus accipi-
pit; secundum illud Christi: *habenti, digneque utenti, dabi-*
tur, καὶ περισσευθήσεται. & reddetur abundantior. Matth.
XIII. 12. unde istud amoris *περισσευμα* existit: 3. *exercitium*,
quo semper occupata est, nunquam otiosa aut remissa: 4. *con-*
stantia seu *perpetuitas*, qua semper viret, floretque in Deilau-
dem ac gloriam, aliorumque salutem intenta. 5. *indoles de-*
missa, qua sibi ipsi in opere quasi nunquam satisfacit, sed, ubi
pro viribus egit, quantum potuit, tamen ad huc sibi ipsi, ob con-
sciā operis imperfectionem, adhuc displicet, viribus auctis
(haurit enim ex plenitudine Jesu Christi *χάριν αὐτοῦ χάρι-*
τος, Gnade um Gnade / eine Gnaden-Gabe / Gnaden-Kraft/
nach der andern / Joh. I, 16.) *πρὸς τὸ μᾶλλον* tendens; & u-
bi hoc efficit, *πρὸς τὸ ἔτι μᾶλλον*, secundum symbolum
suum Latinum: *plus ultra!* & Germanicum: *Je läng-
ger! je lieber! je länger je besser! je länger/je leichter!* Huc
pertinet illud *περισσέψῃ μᾶλλον* 1. Thesl. IV, 1, & 10. conf. o-
mnino c. III. 12. quemadmodum gratia, & donum per gratiam,
hujus effectus, seu exuberantis charitatis, causa dicitur *πολλῷ*
μᾶλλον περισσεύσας, multo magis in credentes exuberasse,
Rom. V, 15. eosque accepisse *περισσείαν τῆς δωρεᾶς τῆς χά-*
ριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς διαίστυνης, exuberantium gratiae &
doni justitiae. v. 17.

§. XIX.

Speciatim Apostolus in commendata hac charitatis exube-
rantia respicit ad beneficentiam, ergo afflictos & egentes assidue
exercendam; cuius jam tum coptae, & erga ipsum Paulum de-

B 3

mon.

monstratæ, laudem Philippensibus diserte tribuit. Sic 2. Cor. IX. 18. τὸ περιστεύειν εἰς τὰν ἔργον ἀγαθὸν, abundare ad omne opus bonum, speciatim accommodat ad curam pauperum, illudque itidem επεισοδίᾳ πάσης χάριτος derivat. Specialis vero hic respectus nihil derogat modo dicto significatu huic locutionis generali & amplissimo. Nec putandum est, Paulum hic tantum loqui de eo, quod exoptet, non de eo, quod re ipse præstetur, aut præstari possit & soleat, adeoque a voto Paulino non valere consequentiam ad ipsum voti effectum. Certe hoc esset verbum Dei ad suam interpretari libidinem, ac prodere mentem, ab omni gratiæ gustu ac perceptio ne alienissimam, naturæ vero labi penitus adhuc immersam, nec appetere necessariam δοκιμασταν & vitæ ελαγχίσαν, quippe quæ, ut paulo post audiemus, obtingunt nemini, nisi αγάπη ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον περιστεύοντε. Quid? quod Apostolus, quæ hic apprecatur, aliis aperta assertione tribuit v. g. Rom. XV. 14. Parum erraret excusatus, qui putaret, hinc Christianos constitui αναμαρτήτας, seu eum hinc effici statum, qui omnis peccati, omniumque defectuum, sit expers. Etenim non valet consequentia ab abundantí amoris exercitio ad ipsam αναμαρτησίαν. Potius hinc contrarium demonstramus. Nam, nisi peccati reliquiae, charitatis exercitio obstantes, adhuc in renatis iis, qui jam tum charitatis charismate abundant, essent residua, supervacuum esset iisdem addere calcar, ut ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον exuberent: id quod sine lucta adversus peccati reliquias, eti spontanea & victrice, ne quidem intelligi potest. Verbo: πλεῖτος τῆς χάριτος, οὐ περιστεύοντε εἰς ἡμᾶς, divitiae gratiæ, quæ exuberavit in nos, exundarre debet in dirittias charitatis, sapientiæ ac intelligentiæ, Eph. I. 8.

§. XX.

Sequitur modus crescendi & exuberandi amore, vocibus επιγνώσει καὶ ωδῇ αἰδήσει expressus. De singulis seorsum. Επιγνώσις significat cognitionem, & quidem veram ac solidam. Hæc vero cum minime absolvatur nuda & simplici notitia, sed

no-

notitia ea, qua rem cognitam approbamus, magnificimus, eique amoris affectu adhæremus; simul denotat *agnitionem*, qua rem solide cognitam agnoscendo nostram facimus, in eaque cum sancto vltioris fruitionis desiderio ac fiducia acquiescimus. Unde facile intelligitur, cur charitatis exuberantia hac *ἐπιγνώσει* promoveri debeat ac possit. Viva enim est ac solida: quæ quo sit major ac illistror, eo majora & luculentiora deprehenduntur Dei beneficia, nobis exhibita, eoque major inde existit amandi & obligatio & *προθυμία*. Revera autem ejusmodi *agnitio* ipsius fidei indolem habet, immo certo respectu ipsa est *fides*. Nam quemadmodum fidei *desiderium* ac *fiducia* nunquam est sine *agnitione*; ita *agnitio* vera nunquam est sine *desiderio* ac *fiducia*. Unde fidei denominatio a certa sui parte, seu proprietate, facta, revera non tantum alicujus partis, sed totius fidei naturam significat; ita tamen, ut illius fidei proprietatis, quæ *κατ' έξαγνίν* denominatur, etiam præcipuuſ haberi soleat respectus. Intelligi autem hoc loco *ἐπιγνώσεως* nomine *fidem*, porro inde liquet, quia agitur de incremento charitatis, & modo in charitate exuberandi. Jam vero manifestum est, charitatem ex *fide*, unde orta est, etiam incrementum sumere; siquidem potius fides charitatem auget, quam charitas fidem. Huc accedit conditio Philippensium, qui jam inde a prima sui conversione fidem, & ex fide charitatem, conceperant, adeoque non aliam acceperant *ἐπίγνωσην*, quam quæ est fidei. Unde & hac charitas eorum exuberare debet.

§. XXI.

Et hic significatus, quo *ἐπίγνωση* ponitur pro *fide*, Scripturæ admodum est familiaris. Sic v. g. Eph. I, 17. precatur Paulus, ut *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, deus Christianis Ephesini Spiritum sapientie & revelationis, εὐ-πρόνωσει αὐτῷ*, per agnitionem sui i. e. per fidem, conf. c. IV. v. 13. ubi post vocem τῆς πίστεως additur *ἐπιγνώσις*: ἡ τῆς *ἐπι-γνώσεως*: idem fit Tit. I, 1. Ita quod in nostro loco dicitur *πε-ρισσέουσιν εὐ ἐπιγνάσσει*, ad Col. I. v. 9. dicitur *πληρωθῆναι (κα-τα)*

τὰ) τὴν ἐπίγνωσιν θελήματος αὐτῆς, impleri fide seu fiduciali agnitione voluntatis ejus. Et eodem sensu Colossenses c. I, v. 10. dicuntur ἀνξανόμενοι εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τῆς Θεᾶς. Huc refer c. II, v. 2. C. III, 10. Sic i. Tim. II, 4. quando dicitur: *Deus cunctos homines vult salvos fieri, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἀλλιθεῖν*, & ad agnitionem veritatis pervenire, nihil aliud inuitur, quam fides, utpote salutis medium & organum a parte nostri. Sic 2. Tim. III, v. 17. impii dicuntur semper discere, nunquam tamen εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, pervenire ad fidem, cujus objectum est veritas, præcipue Evangelica. Huc refer loca sequentia Ebr. X, 26. 2. Petr. I, 2. item v. 3. & 8. c. II, 20. Eadem quoque significatus δεινώσεις accipitur verbum ἐπιγνώσκειν, pro credere, Matth. XI, 27. c. XVII, 12. Col. I, 6. 1. Tim. IV, 3. 2. Pet. II, 21. Eadem emphasis non raro inept vocibus γνῶσις & γνώσκειν, ut liquet ex Luc. I, 77. Rom. XV, 14. 1. Cor. I, 5. 2. Cor. II, 14. c. IV, 6. X, 5. Phil. III, 8. 2. Pet. III, 18. Hæc de Nomine γνώσεως. De verbo γνώσκειν loca sequentia probescunt notanda. Math. XIII, 11. Luc. XIX, 42. 44. Joh. I, 10. c. VI, 69. ubi τὸ γνῶναι τῷ πισέν. εἰν ὁ ἔργητικῶς additur. c. VII, 17. VIII, 28. item v. 32 & 55. X, 14. XIV, 17, 20. XVI, 3. XVII, 3, 7, 8, 25. Act. XXII, 14. Rom. III, 11. 1. Cor. I, 21. II, 8, 14. VIII, 2. Gal. IV, 9. Eph. III, 19. Phil. III, 10. Ebr. III, 10. VIII, 1. 1. Joh. II, 2, 4, 13, 14. III, 1, 6, 20. IV, 6, 7, 8, 16. V, 20. 2. Joh. v. 1. Apoc. II, 17. Huc præcipue refer locum ex Jes. LIII, 11. ubi Messias dicitur per agnitionem sui multis justificare. Quæ cum ita sint, verissima est regula hermeneutica, quod verba notitiae & sensuum, proprie & έμφατικῶς sumta, intelligenda sint cum affectu & effectu: & optime hunc ipsum locum interpretatur B. GLASSIUS, quando Philol. Sacr. Rhet S. p. 1302. *Agnitio hec est*, inquit, VI. VA FIDES in Christum, Tit. I, 1. 2. Joh. XVII, 3. Es. LIII, 11. *Eam comitatur αἰδήσις, sensus, hoc est experientia interior animæ, seu interius Spiritus Sancti in corde testimonium, de-*

gro-

SECTIO I. EXEGETICA.

17

*gratia Dei & ad adoptionem ad salutem, de quo Rom. V, 1,5. VIII,
16, 17. c. XIV, 17. Ebr. V, 14.*

§. XXII.

Certe non exiguum vox ἐπίγνωσεως vim accipite voce αἰδήσει, quæ ipsi ἐξηγητικῶς adjecta est. Indicavit enim Apostolus hac declaracione, le intelligere ἐπίγνωσιν cum αἰδήσει conjunctam, seu talem, quæ ipsam in se αἰδήσιν continet. Αἰδήσις autem significat *sensem*, ipsamque sentiendi vim, & quidem propriæ corporalem; ad animum translata hæc vox denotat sensum mentis spiritualiæ in genere, quo quis res spiritualiales spiritualiter percipit. Speciatim & ταῦτα ἐξοχὴν αἰδήσις denotat sensum spiritualis gustus in rebus sub eundem cadentibus, h. e. mere practicis, quales sunt illæ, quæ ad applicatricis gratiæ ambitum pertinent. Dari vero rerum spiritualium sensuum gustumque, vel inde manifestum est, quia revera sunt animalis nostris cibus ac alimentum. Quare ut cibum naturalem sentit ac degustat corpus, speciatim lingua ac palatum; sic cibi supernaturalis sensu gustuque afficitur anima, speciatim voluntas. Huc respexit David Ps. XXXIV, 9. וְרָאֵי כִּרְדָּבָר יְהוָה
gustate & videte, quod bonus Jehovah. &c. Ad hæc Davidis Petrus respicit Ep. I. c. II, 2, 3. appetite, inquiens, illud lac animi, dolis expers, ut per illud fibolescat, ἕπερ ἐγένετο, si quidem gustatis, quod benignus sit Dominus. Ceterum quantum habuerit rerum spiritualium & ipsius divini verbi gustum David, vel solus Psalmus CXIX abunde declarat. Hunc vero suavissimum gustum nihil esse aliud, quam ipsum dulcescentis gratiæ, in pectora nostra per Spiritum S. diffusæ, sensum, res ipsa indicat, & affirmat Paulus Rom. V, 5.

§. XXIII.

Non desunt, qui αἰδήσεως vocem per prudentiam aut intelligentiam exponunt. Sed hujus expeditionis cum modo dicta nulla est pugna; potius suavissima hic subordinatio comprehenditur. Nam intelligentie subest gustus, ita ut illa in rebus practicis nunquam sit solida sine gustu, gustus vero eam gignat. Cuius rei egregiam habemus imaginem in cibis naturalibus. Ho-

C

rum

rum enim qualis sit natura, qualis præstantia ac efficacia, non intelligimus solo aspectu, aut solo auditu, sed, gustus accedat, necesse est. Hic si non solus, certe tamen primarius & certissimus est judex cibi atque potus, vilis ne sit an præstans, gratine an ingratia saporis. Eadem est ratio gustus supernaturalis, qui intelligentiae est formator. Atque ita *αἰδήσεις* est degustatio quædam intelligens, seu intelligentia degustans. Hinc intelligitur, cur discipuli Christi, cum hic illis instantem afflictionem prædiceret, Luc. IX, 45. dicantur ignorasse, nec *gustaſſe* (*μὴ αἴδωται*) sermonem Christi, sie hatten keinen Geschmack daran/ es ich meckte ihnen die Lehre vom Kreuze nicht: Unde eum nec recte intelligere poterant: Et hoc comprobat idiotismus Hebræus, quo *μῦθος* significat non solum *lingua* & *palato*, sed etiam *mente degustavit*; quemadmodum *μῦθος* gustum oris & animi. Vide Ps. XXXIV, 9. Prov. XXXI, 18. Ps. CXIX, 66. &c. Idem idiotismus obtinet in aliis linguis, speciatim Græca, Latina & Germanica, ut notissimum est.

§. XXIV.

Quæcum itasint, facile dari potest ratio, cur B. LUTHERUS *αἰδήσεως* vocem reddiderit Germanice Erfahrung: unde etiam totam hanc Dissertationem *Experientiae* nomine inscribere haud dubitavi. Etenim rem sentire ac degustare nihil est aliud, quam eam sentiendo ac gustando, seu ipso sensu gustuque, *experiri*. Nec datur ulla alicujus rei experientia, nisi res, cuius experientiam quærimus, illi sensui, cui præcipue subest, submittatur præsens. Sic Indiæ nullam habet solidam experientiam, seu experimentalem cognitionem, nisi qui eam ipse oculis subjecit, iisque, qualis sit, revera est expertus. Nec datur pomi Jndici, gratine sit, an in gratia saporis, experientia, nisi per gustum. Inno nulla datur alicujus artis, aut opificii, experientia, nisi per ipsam sensuum praxin: quæ ut experientiam gignit; sic experientia parit solidam ejus rei notitiam. Quod in naturalibus deprehendimus, illud nec in spiritualibus abesse potest. Horum enim ea est natura, ut cadant omnino sub experientiam interiorem; animusque noster, uti jam ostensum est,

SECTIO I. EXEGETICA.

19

est, eas habet facultates, quibus rerum sibi ob viarum experientiam capere possit.

§. XXV.

Nec frustra additur $\alphaἰθήσεως$ voci vox $\piάση$, $\epsilonν \piάση$ $\alphaἰθήσει$, in omni sensu: quæ procul dubio significationem seu $\deltaινώσων$ $\alphaἰθήσεως$ auget. Sensum in spiritualibus, etiam bonum, rectumque, non unius esse generis, sed varium seu multiplicem, jam supra §. XXII. indicavi. Et ad hunc respicit Apostolus. Adumbrabo ejus mentem imagine sensuum naturalium, rerumque eos afficientium. Notum est, res plures non posse uno sensu solitarie cognosci, sed ad eorum explorationem plerumque plurium sensuum complicatum quasi usum requiri. Sic cœlum stellatum una cum medi & inferioris aëris meteoris cadit in sensum aurium & oculorum, & quidem in horum sensum primario: unde solo auditu percipi ac dijudicari nequit; multo minus variorum colorum, qui proprie & primario sunt objectum visus, natura solo auditu dijudicari potest. Porro si flores, herbasque ac arbores, tantum oculis intuemur, in naturam earum non penetramus, sed aperiendæ sunt aures, ut, quales eas alii fuerint experti, intelligamus. Sed neque aurium sensus, visui additus, hic sufficit; siquidem adhibendus præterea est odoratus cum gustu tactuque; immo usus earum culinaris ac medicus. Quibus coniunctim adhibitis, deprehendimus ipsa experientia, quænam ipsarum sit natura, quæ proprietates. Eadem speciatim est ratio ciborum, de quibus præter sensus alios, debite adhibendos, in primis gustus judicat; & quidem quam certissime.

§. XXVI.

Ex his facile intelligimus, quid sibi velit Apostolus, quando dicit $\epsilonν \piάση$ $\alphaἰθήσει$, omni sensu. Re ipsa negat, res practicas solo intellectu digne percipi, ad earum dijudicationem sensuum, seu facultatum animi, coniunctum requirens usum, in primis applicationem voluntatis, cuius est rerum spiritualium, quæ sub gustum spiritualem cadunt, saporem percipere, atque hinc spiritualem acquirere experientiam. Quem-

C 2

ad-

admodum enim objecta physica pluribus sensibus simul, uno tamen præcipue, percipi possunt ac debent; sic etiam res hyperphysicæ, & inter has eæ, quæ κατ' ἐξοχὴν sub voluntatis cadunt experientiam, a singulis animi facultatibus sunt percipiendæ, primario autem a voluntate, ejusque & desiderio & acquiescentia. Unde Apostolus πᾶσαν ἀιδητὸν Ebr. V, 14. explicat per αἰδητήρια, in plurali, & quidem γεγυμνασμένα. Quamvis αἰδητήριον proprie significet sentiendi organon; res tamen ipsa eodem recidit. Etenim organa sentientis animæ sunt ejus facultates, quæ ubi per habitum sentiendi bene exercitatæ sunt, ibi etiam adest ipsa habitualis ἀιδητός, eaque πᾶσα, omnis. Ipsa vero hæc experientia hic deprehenditur diversa, pro diverso respectu. Adest enim experiendi actus in singularum facultatum applicatione. Et hic ubi fideliter & crebro est repetitus, experiendi habitum parit; habitus vero hic gignit effectum judicii practici, seu ipsius prudenter experimentalis, dignæ, quæ præcipue experientiæ nomen gerat.

§. XXVII.

Hæc haec tenus de modo incrementi spiritualis, per experientiam capiendi. Sequitur versiculo 10. in vocibus εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑπᾶς τὰ διαφέροντα, ejusdem finis atque effectus, qui est δοκιμάσια spiritualis. τὸ δοκιμάζειν significat probare, non vero rationibus & argumentis, (quaerrequiruntur ad ἀπόδειξιν & ἔλεγχον) sed accurato examine & experientia: unde etiam recte redditur per experiri & examinare. Sic aurum probatur igne, an purum sit; & ignis probatio ab eo impuritatem removet. Vide I. Pet. I, 7. conf. c. IV, 12. item I. Cor. III, 13. Item lapis Lydius probat metallum, ita ut genuinum purumque ab adulterino & impuro discernat. Et quia probatio ejusmodi instituitur cum insequente genuini approbatione; hinc τὸ δοκιμάζειν porro significat aliquid facta exploratione approbare, seu pro idoneo declarare & eligere: quo sensu Paulus I. Thess. II, 4. καθὼς, inquit, δεδοκιμάσμεθα ὑπὸ τῆς θεᾶς, quemadmodum approbati, seu idoni judicati sumus a Deo

Deo &c. Sic Rom. XIV, 22. Beatus prædicatur, qui non iudicat seipsum εν ᾧ δοκιμάζει, in eo, quod probat, h. e. approbat.
Conf. Rom. I, 28. 1. Cor. XVI, 3. 2. Cor. VIII, 22.

§. XXVIII.

Quibus observatis facile liquet, cur αἰδησις ab Apostolo præmittitur τῇ δοκιμασίᾳ; seu cur ille τὸ δοκιμάζειν e spirituali sensu gustuque derivet. Etenim quæ gustamus, alioque sensu ad vivum percipimus, eorum naturam & proprietates gustando ac sentiendo experimur. Quo facto, facilis est exploratio, facilis genuinorum ac salutarium approbatio. Atque ita αἰδησις est mater, aut, si mavis, organum δοκιμασίας. Unde, quo quis fidelius & frequentius spiritualis sensus ac gustus organon exercet, eo majorem acquirit experientię & δοκιμασίας spiritualis habitum. Et hæc est ratio, cur Apostolus Ebr. V, 14. solis τελοῖος, seu spiritualiter adultis, tribuit αἰδητήρια γεγυμασμένα, sensus διὰ τὴν ἔξιν (nimirum αἰδησεως,) per experientię habitum, exercitatos, & quidem itidem in δοκιμασίας finem atque effectum; siquidem addit: ὡς διάκρισιν παλὲ καὶ παλὲ. Sic utraque vox, seu nomen αἰδησις, & verbum δοκιμάζειν spiritualem experientiam, de qua hæc Dissertatio potissimum suscepta est, exprimit. Neutrum vero, sive nec gustum, nec inde natam spiritualem experiendi seu explorandi habilitatem, esse in non renatis, præter alia docemur Pronomine οὐμᾶς, quod τῷ δοκιμάζειν adjectum est. Per hoc enim spiritualis experientia restringitur ad Philippenses, qui vera conversione vere regeniti erant. Ubi vero est δοκιμασίας χάρισμα, ibi etiam est δοκιμὴ & δοκιμίον, experimentum, Rom. V, 4. Phil. II, 22. Jac. I, 3. 1. Pet. I, 7. seu res per experientiam exploratissima: quale fidei ac sinceritatis suæ experimenta qui edit, merito vocatur δόκιμος, probatus & acceptus Rom. XIV, 1, XVI, 10. Cor. XI, 19. 2. Cor. X, 18. c. XIII, 7. 2. Tim. II, 15. Jac. I, 12. αἴδοκίμω, qui nullum sinceritatis suæ documentum dare potest, oppositus 2. Cor. XIII, 5.

§. XXIX.

δοκιμασίας objectum sunt τὰ διαφέροντα. Διαφέρειν pro-

C 3

prie

DE EXPERIENT. SPIRIT.

prie significat in diversas partes agere ac *disjungere*: quæ vero disjunctione egent, revera pro naturæ suæ diversitate differunt; & quæ sic differunt, eorum alia aliis sunt *præstantiora* ac *meliora*. Hinc *διαφέρειν* arctissima sensus cognatione significat *disjungere*, *differre*, & *antecellere* seu *præstare*. Unde τὰ διαφέροντα loco nostro quid sint, constat. Sic vocantur dogmatica & practica fidei ac Christianismi objecta, quæ pro diversa sua indole ac natura discrepant, & quorum alia aliis antecellunt. Atque ita beneficio αἰθήσεως δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, est vero fidei lumine ac gustu explorare res in Christianismo obvias ac discrepantes, easque pro diversa sua indole, uti & actiones pro diversitate circumstantiarum, ita discernere, ut meliora ac præstantiora approbentur ac eligantur, ceteris repudiatis. Lutherus satis bene redditit, daß ihr prüffen (und auch nach der Prüfung erwehren) möget was das beste sey. Hoc est, quod Paulus e renovationis studio derivat, quando Rom. XII, 2. εἰς τὸ, inquit, δοκιμάζειν ὑμᾶς τὸ Θέλημα τῆς θεᾶς, τὸ αγαθὸν, ἢ εὐάρεστον ἢ τέλειον. Sic Ephesii ductu lucis debent esse δοκιμάζοντες, τί εἴτι εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ c. V, 10. Et i. Thessal. V, 21. utrumque & δοκιμάζειν & τὰ διαφέροντα exprimit ac respicit, dicens: πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Ubi κατέχειν τὸ καλὸν, est eorum, quæ discrepant, seu τῶν διαφερόντων, optima approbare ac eligere. E contrario τὰ αδιάφορα sunt, quæ ratione excellentiæ & indolis suæ non ita discrepant & differunt, ut multum intersit, utrum ea eligas, aut repudies.

§. XXX.

Pertinet vero ad τὰ διαφέροντα ipse homo cum omnibus suis cogitatis, dictis & factis, totoque statu suo interiore & exterioro. Poteſt enim, immo debet, unusquisque ſemet ipsum habere pro explorationis objecto. Ethoc est, quod in doctrina ſia hac urget Scriptura ſacra, v. g. i. Cor. XI, 28 δοκιμάζετε τὸ ἀνθρώπος σεαυτὸν, item 2. Cor. XIII, 5. εἴσαυτος πειράζετε, εἴσαυτος δοκιμάζετε, tentate & explorate vosmet ipflos. Gal. VI, 4. Τὸ δὲ ἔργον εἴσαυτος δοκιμάζετω ἵκανος. Nec nos ſolum,

no-

SECTIO I. EXEGETICA.

23

nostraque, verum etiam alios, ipsorumque spiritum & indolem, debemus ad accuratum veri rectique examen vocare, secundum illud Johannis Epist. i. c. IV, i. *carissimi, ne cuivis spiritui credatis, αλλὰ δοκιμάσετε τὰ πνέυματα, sed explorate spiritus &c.* Et hoc τὰ διαφέροντα, ab Apostolo generatim intellecta, speciatim pertinere, vel ex ipsa hac ad Philippenses Epistola constat. Etenim c. III, v. 2. *βλέψετε, inquit h. e. per δοκιμασίαν cognitos cavete canes, cavete malos operarios, cavete concisionem.* Huc ἀναλόγως refer v. 17. illud: *σκοπεῖτε considerate* (seu per δοκιμασίαν cognitos, tanquam scopum & typum, sequendo respicite) *eos, qui sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari: nam complures ambulant &c.*

§. XXXI.

Sequitur scopus atque effectus δοκιμασίας, atque ita etiam experientiae spiritualis, qui est εἰλιξία, sinceritas animi, doctrinæ atque vitæ, eine Gemüths-Glaubens- und Lebens-Lauterkeit. Est hæc vox admodum emphatica: id quod vel ex ipsa ejus etymologia constat. Etenim componitur e voce ἔιλη seu ἔλη splendor solis, & νόμινα judicio, fecerno, discerno. Et τὸ εἰλιξίνες proprie est res pura, quæ, in apricum producta, judicium seu examen sustinere potest; vel quæ explorata probataque est ad solem, πρὸς ἔιλην κρινόμενον, ad solem dijudicata. In applicatione διδοθησις & δοκιμασία sunt instar radiorum solis, qui rerum sibi expositarum defectus, aut præstantiam ac proprietates, antea latentes, detegunt, eum in finem, ut remotis iis, quæ corrupta sunt, suppletisque defectibus, res fiant integræ, puræ, sinceræ, examen minime reformidantes. Atque ita animus εἰλιξίνης est animus veritatis splendore ita collustratus atque expurgatus, ut doctrinæ, fidei, virtutumque sinceritate serena, & serenitate sincera (quæ est ipsa εἰλιξία) gaudeat, possitque αἱρεῖσθαι περιπατεῖν Eph. V, 15.

§. XXXII.

Et ejusmodi animus non detrectat prodire in apricum, seu ad veri rectique examen, immo in ipsius Christi, qui vera lux est,

DE EXPERIENT. SPIRIT.

24

est, conspectum. Secundum illud Christi: ὁ ποιῶν τὴν ἀληθεύ-
αν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, venit ad lucem, ut conspicua fiant o-
pera ipsius, quod in Deo facta sunt. Et contraio qui caret εἰ-
λικενεῖᾳ, seu omnis, qui mala agit, μετὰ τὸ φῶς, odit lucem,
καὶ οὐ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, nec venit ad lucem, ne arguantur
opera ipsius, Joh. III, 20, 21. Ceterum vis vocis adhuc fit clari-
or e locis parallelis 1. Cor. V, 8. 2. Cor. I, 2. c. II, 17. 2. Petr. III,
1. Quando vero Apostolus non dicit ὑμᾶς ἔτε, vos estis, sed
ūt sitis, sinceri, nihil derogat sinceræ Philippensem conver-
sioni, qua genuinam & candidam mentis sinceritatem induen-
rant; sed quam luculentum illa εἰλικενεῖα sumere debeat in-
crementum, ostendit. Etenim mentem dolosam, malique
propositi tenacem, exui in vera μετανόia, egregie indicat Da-
vid, Ps. XXXII, v. 2. solis dolii, malique propositi, expertibus
remissionem peccatorum tribuens. Et hac excidebat Simon
ὁ μαγεὺς, quia mens ipsius haud erat ἐνθεῖα, recta since-
raque coram Deo, utpote χολὴν πινεῖας καὶ σύνδεσμον αἰδίας
fovens. Act. IIX, 21. seqq.

S. XXXIII.

Voci εἰλικρινεῖς ἐξηγυπτικῶς additur vox ἀπέρσπαστοι, quod
est offendiculi expers, & quidem generatim, h. e. in sensu pas-
sivo, qui offensionem non accipit, seu remoram sibi in via sa-
lutis poni haud permittit, aut positam removet, inoffenso pe-
de in eadem pergens; nec non in sensu activo, qui aliis ad sco-
pum contendentibus non est offendiculo, seu remoræ. Qui
significatus posterior e priore, tanquam nobiliori & causa, gi-
gnitur, & hic præcipue attendendus est. Soli vero εἰλικρινεῖς
funt ἀπέρσπαστοι. Etenim, ut jam monitum est, εἰλικρινεῖα, uti
& ἀιδησις, & δοκιμασία, singula viæ ad salutem impedimen-
ta, ambages & remoras detegunt, atque ab euntibus sejunguunt;
atque ita eos reddunt ἀπέρσπαστοι, qui habent ἀπέρσ-
παστον συνείσποντα, conscientiam sine offendiculo, erga Deum &
homines: quæ tamen ut constanter retineatur, assidua requi-
ritur ἀσκησις, Act. XXIV, 16. conf. 1. Cor. X, 32. Sic 1. Joh. II,
10, II, qui diligit fratrem suum (h. e. qui charitate abundat,
&

SECTIO I. EXEGETICA.

25

& est εἰλικρινεῖς) in lumine manet, οὐ σκάνδαλον, offendiculum in ipso non est: qui vero fratrem suum odit, (charitate, δουμένωσίᾳ atque εἰλικρινεῖα carens) in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat, quia tenebræ obsecaverunt oculos ejus.

§. XXXIV.

Tandem accedit determinatio, usque quo continuari & contendere debeat sincerus hic atque expeditus Christianismi cursus, nimirum εἰς ἡμέραν χριστής, usque ad diem Christi, usque ad diem, qui erit κατ' εἰξοχὴν Christi, futuri δικαιοικητῆς, venturi ad judicium cum maiestate eminentissima. Hic καρδιογνώστης est, atque erit, etiam occulta tenebrarum & conilia cordium manifestaturus. Quos deprehendet εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι, hos, ut lucis filios, ipse sol justitiae, tanquam in apicum æternæ gloriæ producet, Col. III, 4. in iisdem gloriosus & admirandus futurus, 2. Thessal. I, 10. Sic, quod in loco nostro est εἰλικρινής καὶ ἀπρόσκοπος, 1. Cor. I, 8. est ἀνέγυλητος; & quod hic est εἰς ἡμέραν χριστής, ibi est ἡώς τέλος ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ Κυρίᾳ ἡμῶν ἵστορος χριστής. Immo in ipsa ad Philippienses Epistola hujus rei εἰδηγησιν deprehendimus, v. g. c. I, v. 6. persuasus sum hoc, quod is, qui cœpit in vobis opus bonum, ἐπιτελέσει, perficiet, usque ad diem Jesu Christi. Conf. c. II, 16. Quamvis Philippienses ipsum judicii diem vivendo non attigerint, poterant tamen illi, qui usque ad vitæ finem ἐν τῇ εἰλικρινείᾳ perseveraverant, dici attingere diem Christi; siquidem quales nos ultima rerum linea, mors, invenit, tales nos, exuvias corporis depositis, sistit Christo, ita etiam coram ipso judge aliquando sistendos. Respicitur simul ad posteros, alios Christianos, in Christianismi εἰλικρινεῖα usque ad extremum diem perseveraturos. His εἰδηγητινῶς expeditis, & quidem citra Auctorum ac sententiarum allegationes citationesque, utpote quas in re manifesta pro supervacuis habui; pergo ac Sectionem secundam, seu Dogmaticam, paucis absolvendam.

D

SEC-